

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis vigesimâ primâ Februarii.

M. HONORATO MICHELET,

PHILIPPI V. HISPANIARUM REGIS ARCHIATRO,

DOCTORE MEDICO,

PRÆSIDE.

An potus ægris interdicendus?

I.

DE vitâ quid interrogas? motus est; motus, non impetus; lucta, non pugna; lucta, non acidorum, non alcalium [a], non fluidorum [b]; sed solidorum in [c] fluida. Hæc desultoria non est aut instabilis, quasi ex tumultu, *explosione* [d] aut *fermentatione* nata (tandem enim deferbuit medicina, sui facta compos, ab *Archeorum*, fermentorumque [e] furoribus resipiscens) sed jugis, oscillans, æquabilis, nullibi non præsens. Cordis igitur energiam solo in pectore ne requiras, ubique partium est, *systalticâ* [f] illâ vi, quæ omnes motat partes. Neque sanguine [g] in uno scruteris vitæ semina, ipse languet aut nocet solidorum exemptus regimini. Itaque corpus humanum non malè comparaveris horologio [h], hydraulico imprimis seu clepsydræ; quod enim in hâc præstant potentiæ ad quandam aquæ quantitatem *æquilibrata*, idem exequitur ad sanguineæ molis rationem & æquilibrium compositus solidorum elater Tubulos intellige elasticos [i], in conum [k] gracilescentes, micantes assiduè, cordis ergò æmulos aut appendices, nitentes in sanguinem: renitentem [l] aliunde *pressione*, [m] mole, impulsu. Rogas unde mutuus ille nisus partibus obtigerit? Tot inter quibus deficitur sanitatis ars, tales mitte difficiles nugas; naturæ sunt necessitatisque decreta [n], quæ scrutanda minùs,

a *Pitcarn. dissertat.* p. 132.
b *Bagliv. de fib. motr.* p. 80. &c.
c *Id.* p. 40.
d *Louver de cord.* p. 77. *Pitcarn. passim.*
e *Id. & Cockburn œconom. passim. Borel. de mot. animal. prop.* CXXVIII. CLVII.
f *Bagl. Pacchioni de durâ mening. passim.*
g *Bagl.* p. 72. 80. 105. *de f. m.*
h *Ibid.* p. 51.

i *Bellini opusc. Bagl. ubique. Gulielminus de sanguinis constitutione* p. 9. *de Moor de instauratione Medicinæ* p. 69.
k *Gulielmin.* p. 10. *Bagl.* p. 48. l *de Moor* p. 72, &c. m *Id.* p. 43. &c. n *Auli Gellii* noct. attic. p. 291. *Louver* p. 85.

quàm observanda. Utcunque fit, vides alternantem solidorum cum fluidis motum? æquilibrium [o] tenes quo stat sanitas, quæ oscillum est, ab æquilibrio pendens, cujus in solidis potentia, in fluidis momentum. Sic æquilibrii opus est & fluis, sanguinis circuitûs libertas, constantia, æquabilitas. Hydrostatices enim lex est, in recurvis [p] syphonibus ad eandem altitudinem fluida *æquilibrari*, id est quantum per unum syphonis crus descendit, tantum ascendere per alterum. Sanguinem ergò, quâ fluidum (nullâ aliâ accedente vi) in descendentem aortam vibratum, per venæ cavæ truncum, ad cordis altitudinem elevaret æquilibrii virtus. Auxilio sunt venarum, ut & *lymphaticorum* [q] valvulæ, rorarum *hydragogarum* pinnas æmulantes, quæ versùs commune receptaculum, cor nempe, sanguinem elevant: adjuvat iterùm cordis situs cerebro vicinus, à pedibus autem [r] remotissimus. Locorum enim major aut minor declivitas, distantiis compensanda fuit. Nimirùm ut breviori itinere ferretur sanguis ad caput, quò coactus ascendit, longiori ad pedes, quò spontè descendit. Illic enim se ipsum & pondus vincat oportet, hîc suo pondere omnia [s] vincit. Sed & aliæ suppetunt adhuc servandi æquilibrii artes. Quorsùm enim arteriarum ad venas & vicissim diametrorum inæqualitas? cur venæ cavæ [t] diameter, aortæ duplex est? Emulgentis, sodalis arteriæ triplex [u]? Quare, quod suadet non levis conjectura, *iliacorum* in viris diametri breviores, quàm in feminis? cur tandem, quod sensibus patet, arterias omnes capacitate vincunt [x] venarum omnium propagines? quò hæc omnia? certè ad æquilibrium; ut ex angustis in latiora [y] (aut è contrà) decapulandi liquores tardescant modò, modò accelerentur. Est enim ubi motûs [z] celeritatem, locorum angustiis compensari necesse est. Hâc eâdem vasorum symmetriâ fit, ut suum cuique visceri sanguinis demensum suppeditetur, mole, mensurâ, môtu conveniens. Enimverò præter publicum sanguinis per universum corpus circuitum, singulares in uno quoque viscere rotandos sanguinis vortices, singulares succorum (ut bilis [aa] in hepate) circuitus concipere est, suum tandem cuique visceri æquilibrium. Huic ubique sustinendo, virtute opus est & industriâ; sed utramque in corde & vicariis arteriis reperies. In corde potissimùm, cujus sinister ventriculus, ut densior [bb] ac vegetior, ita longior [cc] est & profundior. Nec temerè; eò enim longiùs & efficaciùs vibrabitur sanguis, quò ex profundiori [dd] specu & à fortioribus fibris jaculabitur. Mallei [ee] exemplo, cujus tantò fit validior ictus, quantò manubrium longius est, quòque major circulus quem describit brachium, malleum adigens. Tota ergò corporis œconomia æquilibritas est, harmonia, proportio, quam ordo moderatur, sapientia regit. Similes quoque sint medendi fines, ultra quos citraque vagari inconcessum sit, hæ sint medentis ingenii exercitationes, hæc curricula mentis. Solidorum symmetriæ respondet fluidorum [ff] *crasis*, motus, ingenium; sanguinis id est, liquoris benignæ [gg] naturæ. Absit enim sanguinis nomine intelligas, acidorum, acrium, alcalium, similiumque incenrivorum inter se pugnantium [hh] compositu-ram; ab hostilibus & furialibus ejusmodi succis abhorrent naturæ mores. Dices? sanguinis [ii] ℥xxiv. exhibere partis *volatilis* ℥ x i v. *capitis mortui* ℥xviii. Addes? inesse sanguini sal *fixum* [kk] ad *acidum* magis, quàm *alcali* vergens. Suspiciosissimæ res & ambiguæ [ll]! Quid enim? si tot sint subdititii chymiæ fœtus, tot ignis creaturæ [mm]. Suos enim habet chymia fatuos [nn] ignes, fictisque sæpe nitet luminibus, quæ quò splendent jucundiùs, eò efficaciùs perstringunt. Erroris causa est, *analogismi* [oo] vitium, quo ignem non fortem [pp], sed lentum & mollem, quo in nobis utitur natura, comparant cum suis *reverberii*, *rota*, & *fusionum* ignibus. Is tolerandus ignis qui corporum partes secat non miscet, purgat non mutat. Talis est qui duas in sanguine ostendit, crassam [qq] & fluidam. Tam facilis nec adulterati processûs operâ, ex sanguinis recentis 5833 granis, crassæ partis 1296 grana, fluidæ 4537. eliciuntur. Unde subducto calculo, fluidi ad consistens proportio erit ut 3. [rr] ad 1. Simplex autem hæc *analysis* ad usus medicos satis erit, quâ patet sanguinem esse non minùs quàm aqua fluidum, *aqueum* [ss] reverâ, dividi [tt] facillimum, ad irrigandum, humectandum, molliendumque maximè idoneum. Centro illius volvitur capillamentum molle, album, glutinosum, in fibras reticulatim [uu] expansum,

o Bagliv. de f. m. p. 61. 71.
p Gulielmin. p. 14.
q de Moor p. 51.
r Gulielmin. p. 15.
s Ibid.
t de Meer p. 45.
u Ibid.
x Charleton œconom. anim. p. 106. de Moor p. 45. 66.
y Ibid. p. 44. Cole de secretione p.
z de Moor p. 65.
aa Reverhorst de motu bilis circulari. Borel. propos. CXLVI.
bb Louver de cord. p. 81. &c. de Moor p. 67. &c.
cc Ibid. p. 68.
dd Ibid. p. 69.
ee Ibid.
ff Gulielmin. ubique.
gg Bibliothec. anatom. ex Louvero p. 91.
hh Ibid. de Moor p. 411. 414.
ii Boyl. hist. sanguinis in append. p. 74. Gulielmin. p. 53.
kk Ibid.
ll Boyl. de insido experiment. successu ubique. Borell. proposs. CXXXI.
mm Ibid. de Moor p. 414. Boyl. chymist. sceptic. passim. Cockburn œconom. in præf. Ettmuller Medic. c. 14.
nn Cockburn in præf.
oo Bagl. prax. l. 1. c. VI.
pp Hippocr. de diætâ S. XV. v. 34.
qq de Moor p. 43. Borel. prop. CXXXI. Gulielmin. p. 52. Brunner. de lymphâ & pancr. passim.
rr Gulielmin. p. 53. Boyle histor. sang.
ss Gulielmin. p. 65. Pitcarn. dissert. p. 22.
tt Ibid.
uu Gulielmin. p. 55. 58. Malpighi de polypo p. 128. Brunner. de lymphâ. p. 127.

ſanguinis *fibram* vocant, laxari contrahique [xx] aptam, ferè [yy] organicam. Putant
tale ſolidum ſanguini innatans., partium illius æquilibrio [zz] inſervire. Quid enim,
aiunt, non naſciturum diſcriminis? ſi tot inter corporis motus, ſitus, mutationes,
ſanguinis maximè fluidi; diſſolutæ [aaa] fuiſſent & fluitantes particulæ. Tali igitur
opus erat retinaculo, iis ferè ſimili aſſerculis, quæ aquam in doliis continendo, ab
effluvio coërcent. Hincque probant, non ſolidis tantùm, ſed & fluidis ſuum eſſe
datum æquilibrium. Adeò ad illius leges concinnata eſt corporis humani fabrica!
Bona conjectura, melior interim, quæ ſucci nutritii, roſcidi, mollis promptua-
rium [bbb] in fibrâ ſanguinis deliteſcere docet. Fomitem fermè nominares humidi
[ccc] primigenii, ellychnium [ddd] vitæ, ex quo mutuantur ſolida unde flexilia ſerven-
tur & ductilia: fluida, unde fluidiora fiant & motabilia magis.

I I.

QUIBUS ſtat mollitudine partium & æquilibrio ſanitas, iis foveri amat. Illis
nempe omnibus, quæ ſolidorum moderantur potentias, liquidorum mulcent
impetus. Priori loco erit ſobrietas, [a] quæ ſanitatis parens; ſecundo frugalitas, quæ
conſervatrix. Illa fluidorum exuperantiam, hæc vitium arcet; utraque flexibilita-
tem conſervat & æquilibrium. Amica inter edulia, palmaria ſunt liquida [b] præ ſiccis,
præ aſſis [c] elixa, præ ſaporatis dulcia aut inſipida [d]. Verbo, præ exquiſitis [e] *pa-*
rata vulgò, inventu facilia ac ſine impendio, optima tot remedia quæ pauperri-
mus quiſque canat; Sicula enim fugiendæ dapes, blanda venena, quæ vellicando
jucundè, inſidiosè necant. Tutiſſima analoga ſanguini, qui cùm ſanus nullo [f] im-
buitur ſapore, ſimilibus [g] gaudet. Vulgaris ergò eorum diluendus error, qui uni-
cè ſanum hominem imaginantur atque robuſtum, quem animat actuoſus [h] & vi-
vidus ſanguis, *ſalinis, volatilibus, ſulphureis* particulis abundè dives. Attamen ta-
lis non ſit oportet eorum ſanguis, quos ex popello athleticos [i] vides; vitam enim
miſellis adeò cibis ſuſtentant, ut ex iis nihil aliud præter *aquam & terram* [k] eli-
ciat chymicorum labor. Contrà, quorum ſanguis vegetior futurus erat, quos nem-
pe ſaginant menſæ pingues, vinorumque deliciæ, laxos vides, inertes, ad motum
tardos. Sed quid, inquies, ſperandum virtutis ex ſanguine quem fecerint fatua
alimenta aut inſipida? Certè ipſe exſuccus, ſpiritûs aut ſucci nihil ſuggeret. Me-
chanices ignari ſermones! Num credidiſſes? funem aquâ minùs quàm aquæ vapore
[l] madidum, pondus 100. ℔rum ſuſtuliſſe? memineris ergò, eam à naturâ eſſe fibris
motricibus [m] texturam, id [n] elateris; tot adeſſe multiplices villorum [o] decuſſatim
poſitorum, breviſſimorum vectium inſtar [p] faſciculos, ut ſolâ quâdam aurâ, quam
ſpiritum vocant, eò efficaciori quò tenuiori imbuti, ſtupendi fiant roboris. [q] Divi-
nam numinis artem! tantillum liquoris, imò pauxillum quid liquore minus, ad
maxima corporis munia ſatis eſt. Hinc fluidorum tenuiſſimam partem quæ eſt
minimæ molis, ſolidorum vi erigendæ ſufficere ſuſpicio eſt. Neque imponat inſi-
gnis illa liquorum in vaſis contentorum ſenſibus obvia quantitas; dicata hæc hu-
midandis [r] partium ſtaminibus, corporis potentias non facit, ſed tegit; eâdem quâ
aromatariorum induſtriâ, qui eſſentias avolare faciles, copioſo veſtiunt ſucco, ut
illas infrænent. Exemplum tale exhibet in humano corpore ſeminalis [f] liquor,
qui totâ ſuâ quâ ſe oſtendit mole ſervit minùs, quàm involuto quem celat ſpiri-
tu. Unde quod in humoribus craſſius eſt & copioſius, vehiculi [t] vicem gerit,
quod reconditur ſenſum fugiens, minimum licèt, maximam vim habet. Nobilio-
res ergò credito ſuccos, non quò exaltari & avolare, ſed quò in lymphas [u] te-
nuari faciliores. Solida enim majorem concipiunt vim & elaterem, non quò actuo-
ſioribus [x] infarciuntur ſuccis aut volatilioribus, quod temulentiæ genus eſſet; ſed
quò tenuioribus imbibuntur & blandioribus, quod ſanitatis eſt argumentum. Indè
adhuc palàm eſt, quæ alimenta ſtomacho amica magis, quæ optimorum conditio.
Eorum nempe, non quæ fermentationi aptiora ſunt aut viciniora, nulla enim ini-
mica magis, ſed quæ tritu faciliora ſunt. Trituræ [y] enim genus eſt, ciborum
concoctio. Oſtendunt prima in ore facta illius initia, ſibi enim ſimilis ubique eſt
natura, in multiplicibus [z] ſimplex. Dentium non ſecùs ac piſtillorum ictibus, cibos
in ore tundi conceditur. Quid autem? ſi pinſendi vim in ventriculo, dentium mo-
liturâ longè majorem invenias. Ita tamen eſt, muſculorum enim temporalium &

xx *Gulielmin. p. 55.*
yy *Malpighi de polypo p. 60.*
zz *Gulielmin. p. 76.*
aaa *Ibid.*
bbb *Ibid. p. 77.*
ccc *Ibid. p. 90.*
ddd *Ibid.*

a *Senec. epiſt. xcv. de Moor p. 316.*
b *Celſ. p. 105.*
c *Ibid.*
d *Bontekoë. elem. de Med. tom. 2. p. 46. &c.*
e *Plin. hiſt. l. xxiv. c. 1.*
f *Confer Brunner. de lymph. Harvæi exercit. Charleton. Nuck.*
g *Ibid.*
h *Baglivi de fibr. motr. p. 77.*
i *Ibid.*
k *Ibid.*
l *Boyle de effic. effluvior. p. 44. Bagl. de f. m. p. 88. Bellin. opuſc. p. 21. id. de villo contract. p. 238.*
m *Baglivi de fibr. motr. p. 40. &c.*
n *Ibid. Bellini opuſcul. ubique & de villo.*
o *Bagliv. de fibr. motr. morboſ. p. 75.*
p *Ibid. Bellini opuſc. de villo.*
q *Ibid. de villo contract. p. 237. de Moor p.*
r *Pacchioni de durâ meninge p. 90.*
ſ *de Graaf ubi de proſtatis.*
t *Ibid.*
u *Bellini de corde p. 40. confer Charleton œcon. Brunner de lymphâ.*
x *Baglivi de fibr. motric. p. 92.*
y *Pitcarn. p. 63. de Moor p. 32.*
398. Borell, de mot. animal. p. 394. z *Pitcarn. paſſim.*

mandentium [aa] potentia, æqualis tantùm eſt ponderi ℔rum 16020. quæ autem ſto-
machi & conſortium [bb] muſculorum eſt, ponderi par eſt ℔rum circiter 261186. ſi
addideris vim illam ab ore cœptam, in ultimis partium receſſibus oſcillando [cc] perſe-
verare aut multiplicari, ſtupendam intelliges trituræ vim, in eâque unâ totam cor-
poris œconomiam occupari: poni denique *coctionum, depurationum ſecretionumque* [dd]
commune inſtrumentum. Hìc inſignem confert ſymbolam, ſalivæ, ſtomachi &
glandularum omnium liquoris, ſanguinei laticis, lymphæ mira [ee] ubertas. Tot
diluentium ſtillantium undique, quæ ſolida hinc humectando, illinc comminuenda
ſenſim pervadendo [ff] liquant penitiùs, & in impalpabilem pollinem [gg] ſolvunt.
Unde liquet ad ſanitatem, liquidorum & potûs uſu [hh] liberali, utilius eſſe nihil;
aquæ [ii] potiſſimùm aut ſimilis inartificialis diluti, eò præſtantioris quò ſimplicio-
ris. *Lixivium* erit quo lota eſculentorum ſalia [kk] manſueſcant, humor quo mol-
liantur ſolida, *menſtruum* quo ſucci [ll] liqueſcant. Huc enim reſpicit tota corpo-
ris mechanice, hæc illius ultima meta laborum. Sed quanta ſit potûs neceſſitas,
hoc uno evinceretur. Eſculentorum [mm] diutiùs quàm potulentorum privatio tole-
ratur. Imo morbos rariùs incurrunt aquæ [nn] helluones, ſi potiſſimùm thermo-
potæ [oo] fuerint. *Neque credendum* [pp] *utique noſtris eſt, qui cùm in adversâ vale-
tudine vinum concupierunt, deliciarum patrocinium in accuſationem non merentis ſto-
machi habent.* Hine igitur exeſto infirmandi refrigerandique ſtomachi metus; hoc
enim vera rerum nomina eſt amiſiſſe. Quas voeas cruditates, ſæpius oſeillantis feſti-
nantiùs & *ſpaſmodicè* [qq] agitati ſtomachi, cibos proinde celeriùs præcipitantis culpæ,
aut laticis illius ab inſipido, in *acido-acre*, *alcaliſatum*, nidoroſum [rr] &c. degeneris
vitio, quàm alteruttius debilitati imputabis. Hinc vini, liquorum ardentium [ſſ],
ſtomachicorum [tt], carminantium [uu] dolus. Crudis enim ſeu ſtomacho labo-
rantibus, ſæpe meliùs medetur *frigida* [xx], aut *frigidi cibi qui difficiliùs vitiantur.*

aa *Borell. de mot. animal. propoſ.* CXXVII.
bb *Pitcarn. diſſert. p.* 81.
cc *Bellini opuſc. de villo contract. p.* 239. *Bagliv. p.* 105.
dd *Pitcarn. & Bagl. paſſim. Borell. propoſ.* CXXIX.
ee *Brunner de lymphâ paſſim. de Moor p.* 239.
ff *Ortlob œcon. homin. p.* 104.
gg *Gulielmin. p.* 46.
hh *Borell. propoſ.* CXXIII. *Lucas Portius de ſanit. milit. paſſim.*
ii *Moniglia tract. de aquæ uſu in morb. ubique. Bontekoë p.* 84. *Gallego de la Serna m. m. c.* IX.
kk *Borell. propoſ.* CXXXIV. ll *Ibid.* mm *Bontekoë elem. de med. p.* 84. nn *Lucas Portius* Neapolitanus *de milit. ſanit. tuend. paſſim. Mercatus p.* 46. oo *Ibid. Coſtæus de potu in morbis l.* 1. *c.* 52. 53. pp *Celſus p.* 40. qq *Confer Mercatum l.* III. *p.* 269. rr *Celſ. p.* 217. 219. *ex Helmontio Ettmuller Medic. p.* 7. ſſ *Morton de Phthiſi p.* 92. *de Moor vid. Hanneman. de inebriaminum uſu & abuſu.* tt *Vuedelii amœnitat. de ſtomachicis p.* 161. 162. *&c.* uu *de Moor p.* 128. 129. xx *Celſ. p.* 23. 41. 42. *Confer Vvaldſchmidt inſtit. cap. proprio.*

III.

ITA erit ſanitas? in molli & humido poſita; tu tamen potu poſthabito ſana-
re voles? malè ſanum naturæ [a] interpretem! in ſanis ſanguis pluſquam mediâ
[b] ſui parte fluidus eſt, mollis, aquoſus; ſolida quævis humore madent aut ſtillant;
ipſi ſucci, ſi *coagulari*, *exaltari* aut quovis alio modo diſtemperari faciles fue-
rint, aquoſo temperantur: ſic bilis [c] ſucco pancreatico; ſemen [d] veſicula-
rum & proſtatarum liquore; ſanguis à renibus refluus atrabilariarum [e] capſula-
rum ſero; remiſtis [f] ſpiritibus lympha; lymphâ eâdem undique redeunte [g] ſanguis
univerſus. His ſuppreſſis vitiatiſve humiferorum fontibus, ſupremus inſtat dies, aut ru-
goſa ſenectus. Hæc enim deliquium minùs eſt, quàm tabes: ſenioque ſæpius rigent, quàm
laxantur vitæ retinaeula. Hinc *ſenum lac* dieere merum, errare eſt. His quoque doloſus
amicus erit, niſi modicum dilutumve, ad ſolatium ætatis, non uſum vitæ. Aliàs ut juve-
nes accendit, ſenes depaſcitur. Quanti erit igitur aquoſotum [h] & potulentorum uſus in
morbis præcipuè? ubi bullit [l] ſanguis, bilis evehitur, ſæviunt ſucci, partes areſcunt & cor-
rugantur, [k] nullâ aut acri lymphâ madentes. Morbi acuti ſunt aut chronici; communes
aut proprii; ſed par omnibus potûs neceſſitas. Sub ſanitate, fluida diluit potus; à morâ,
lentore, ſalſedine, effervèſcentiâ præſervat; [l] rigat ſolida; omnium æquilibrium tuetur:
ſub morbis hæc ſingula ſervanda minùs habet quàm reparanda. Bilis (ſanguinis
nata tutela) à *volatili oleoſo* quo turgere fertur, in acidum, acre, efferum plùs
minùs evecta, acutos committit. Eadem aut depreſſa nimis (ut in infantibus)
aut in acrem *lixivioſam*, *alcaliſatam* in adultis (maximè utentibus vino [m].) dege-
nerans, chronicos. Sub tam multiplicibus cauſis, quale auxilii genus invocandum tibi
ſit, dubius hæres; *acidum* [n] an *alcali*; *fixum* an *volatile*. De acido ſollicitus, an
ſulphureæ futurum erit proſapiæ, an *vitriolicæ*. De alcali, num de *terreorum* vel *ſa-
linorum*, num de *volatilium* vel *fixorum* genere. Fortaſſis enim non ſingula *calcea-
bis eodem calopodio*? ſed *nodum* hunc *Herculeum* ſolves potum offerendo. Aquæ

a *de Moor de Inſtauratione Medicinæ p.* 175.
b *Boyle append. ad hiſtor. ſanguinis p.* 73. *Borell. de motu animal. prop.* XXXIV. *Gulielmin. p.* 53.
c *de Graaf. de ſucco pancreat. paſſim. Brunnerus de lymphâ & pancreate c.* 118. 120.
d *de Graaf de viror. organis.*
e *Sylvius de le Boë de lienis & glandul. uſu. Bibliothec. anatom. hìc.*
f *Charleton œconom. p.* 194. *Brunner. de lymphâ p.* 135.
g *Ibid.*
h *de Moor p.* 110. 174. 124. 129. 130. 212. 418. *Ettmuller de febrib. p.* 314. i *Idem p.* 251. *Pitcarn. paſſim.* k *Vvillis de convulſivis affectibus ubique. Bellini ubique. de Moor p.* 128. l *Borell. de mot. animal. propoſ.* CXXXIV. *Moniglia de uſu aquæ in morbis ubique. de Moor paſſim,* m *Id. p.* 130. n *Id. p.* 191. *Pitcarn. diſſert. p.* 133.

potiſſimùm, quæ cùm ſit quaſi *Menſtruum* univerſale, ſeu genuinum [o] *ſolvens*, ſalia quævis [p] ex æquo necat; ſi enim acida [q], ſorbet; ſi alcalia [r], mergit; *de eâdem quaſi fideliâ duos parietes dealbando.* Prætereà ſi lenteſcit ſanguis, illum diluendo potus accelerat [ſ], ſi ebulliendo furit, reſtinguendo cicurat. Potus ergò alterantium princeps, verè *hegemonicum* eſt remedium, panchreſtum, morbis omnibus [t] accommodum, proprium ſingulis [u], adde ſi voles univerſale *ſpecificum.* Paradoxum! verbo, non re. Specificum meritò illud audit, quod non vacuando [x], ſed immutando illicò ſanat. Porrò tot inter remedia quæ ſpecificorum honoribus ſuperbiunt, pauca reperias, quæ ſanguinem ad nativam indolem, fluidam [y] ſcilicet, potu meliùs revocent. Sed ne quid nimis; ipſorum ſaltem ſpecificorum virtutes pandit, aut arcet pericula, cæterorumque remediorum operationes mulcet aut ſecundat. *Cane* enim *& angue pejus* pharmacum, in ſicco jacens. Ut enim *ſalia non agunt niſi ſoluta* [z], ſic remedium idoneo deſtitutum menſtruo, aut irritum fit aut propriæ malitiæ relinquitur. *Cortex Peruvianus*, qui pulveris formâ ſtomachum lædit, ex aquâ [aa] dilutus juvat. *Laudana* nunquam laudanda magis, quàm cùm [bb] liquida ſunt. Languent aut torquent *cathartica*, diluentibus præviis aut ſubſequentibus [cc] incomitata. Hinc ſi offeras diluentium auxilio incorrecta, quæ ex reſinoſis purgantibus (potiſſimùm ſpiritu [dd] vini ſolvente) parata ſunt *extracta*, [ee] nihil aut nimium movebis. *Diaphoretica* inertia fiunt aut moleſta, niſi juſculis aut ſimilibus [ff] interjecta ſint. Talium quoque gaudent conſortio *ſpiritus volatiles*, qui nunquam turiores quàm ubi cibos [gg] inter uſurpantur. Liquidorum enim ejuſmodi ſodalitio manſueſcunt [hh]; talique muniti vehiculo, ipſi nervoſi generis penetralia tacitè pervadunt, ſpirituum *ataxias*, ſolidorum retrogradas oſcillationes, liquidorum turbas compoſituri, pacem denique reddituri & æquilibrium. *Chronicis* [ii] non minùs auxiliabitur potus; ſub his enim ut interdùm à laxatis nimiùm ſolidis æquilibrium peſſundari concedendum eſt: ſic ſæpius à *muriatico* ſale vel *alcaliſato*, aduſtâque [kk] bile, æquilibrio vim fieri agnoſcendum erit. Obſtructiones arguis? viſcos? phlegmata? mucagines? ita ſanè eſt, ſed horum cauſas agnoſce *calciformes* ſuccos, *fluores*, *deliquia*, eliquationes. Talia enim dat ſub his morbis *acido-acri* [ll] gravidus ſanguis; talia plorant aut ſudant ſolida, glandulæ ſcilicet & membranæ, ſalium quibus imbuuntur ſtimulis continuò laceſſitæ. Teſtantur *aſcites, tympanites*, *paralyſis*, *icterus*, *ſcorbutus*, *chloroſis* &c. tales enim morbos phlegmaticis, frigidis, ignavis liquoribus aut paupertinis ſemper [mm] tribuere, jugulum ægris petere eſt. Et reverâ nullibi apozematum, dilutorum ex herbis, ptiſanarum, aquarum metallicarum, balneorum frequentior uſus. Quidquid enim ſenſibus offerat chronicorum facies, arcanum in illis fibrarum *ſpaſmum*, renixumque [nn] obſervare eſt, quos ſi diluentibus mollire prætenieris, ſpe cades. Sic quòd *menſes* emmenagogis valentioribus ram ſæpe obſurdeſcant [oo], facit fibrarum uteri nimium robur aut elater intenſior: tunc, aut uteri vaſcula (ut in junioribus) nondum planè evoluta, aut tonum fibrarum uteri quaſi naturâ ſuâ ſpaſmodicum concipito. Vim vi addes? volatilibus, ſtimulantibus, aromaticis impingendo in uteri vaſcula nondum evacuationi matura? *Ataxias* movebis [pp] retrogradaſque oſcillationes, quæ ſuperas versùs partes reſiliendo, diaphragma, fauces, cerebrum convellent, hyſterica, ſpaſmodica, epileptica tandem ſymptomata daturæ. Cauſam quæris? ad manum eſt. *Curru* (ut aiunt) *bovem trahis.* Quæ enim præmittis *aperientia*, *chalybeata*, *caſtorina* &c. curationis clauſulæ debebantur. Contrà diluentibus, potulentis, balneis primùm [qq] emollitæ partes, pleniùſque evolutæ, ſpontè dehiſcent; ſin minùs emmenagogis, coronidis loco adhibitis, ultrò obtemperabunt.

o *Borell. de mot. animal. propoſ.* cxxxiv. *Vvedelii pharmacia acroamaticæ p.* 32.
p *Borell. ibid. Vvedel. ibid. p.* 34.
q Alcalia nihil ſunt aliud quàm particulæ aqueæ. *Von-der Beck experim. circa rerum principia p.* 202. aqua de genere alcalium eſt. *Ettmull. Medic. p.* 38.
r *Borell. prop.* cxxxii. cxxxiv.
ſ *Ibid. de Moor p.* 417.
t *Coſtæus de potu in morbis ubique.*
u *Ibid.*
x *Sydenham de peſte p.* 87. *Vvaldſchmidt diſput. theſ.* x.
y *Gulielminus p.* 65. 77. *Pitcarn. diſſert. p.* 22.
z *Vvedelius (ex Tachenio) pharmaciæ acroamat. p.* 33.
aa *Morton puretologiæ p.* 184.
bb *Sydenh. p.* 164.
cc *Vide Ingraſſiam de potu frigida poſt medicamentum purgans, & Sylvatici reſponſum. Luc. Tozzi comment in aph. l.* IV. *p.* 224.
dd *Freitagius. aurora Medicorum p.* 246. *Hanemannus de uſu & abuſu inebriaminum paſſim.*
ee *Freitagius aurora Medic. p.* 246.
ff *Sylvius de le Boë Method. Med. l.* 1. *c.* 11. *art.* 27. *Id. append. p.* 642. *art.* cccix. *Sydenham p.* 100.
gg *Sylvius de le Boë prax. l.* 1. *c.* 2. *Screta de febr. caſtrenſi p.* 240.
hh *Ibid.*
ii *Moniglia de aquæ uſu in morbis. Coſtæus de potu in morbis paſſim.*
kk *Ettmuller de ictero p.* 55. *de hydrop. p.* 34. *&c. Sylvius de le Boë paſſim.*
ll *Ibid.*
mm *de Moor p.* 305. *&c.*
nn *Bagliv. de fibr. Motrice p.* 90. *&c.*
oo *Ibid. p.* 86.
pp *Id. paſſim.*
qq *Id. paſſim.*

IV.

IN aliquo viſcere perit æquilibrium? pulmo, lien, hepar, veſica laborat? potûs utilitas non minor, major neceſſitas. Viſcera (privatorum ejuſmodi morborum ſedes) concipias veluti cæcos receſſus, altè latentes, longè diſſitos, mille vaſculorum ad centenas [a] uſque ulnas productorum plicis & angulis anfractuoſos, remediis ergò ferè inacceſſos. Hæc penetralia ut inoffenſo pede, ſic inoffenſis parti-

a *Bellini opuſc. de ferment. p.* 199.

bus obviis ſubeant remedia neceſſe eſt. Sed hæc à nullo meliùs expectabis, quàm à potu, qui pro remedio erit aut vehiculo [b], blando, molli, aquoſo. Viam hic monſtante naturâ, quæ ubi per tenuiſſimos & tortuoſos tubulos tranſmittendum ſuſcipit ſanguinem, illum ab evectâ magis portione, rubrâ ſcilicet, ſpoliat. Hinc capillares appellens ſanguis, purpurâ [c] exuitur, albus enim fit, lymphæ aut aquæ ſimilis. Imò nullos colore, ſapore &c. ſpoliatos magis, & aquam [d] æmulantes meliùs obſervabis ſuccos, quàm qui nobiliores ſunt, ſinceriores, ſubtiliores, quique ſubeunda habent exiliora vaſa. Sic nervorum ſuccus [e], glandulatum [f] liquor, lympha ſunt; imò ſanguinis vis [g] & natura in lymphâ conſiſtit. Quòd ergò tam frequentes in corpore videas ſeri & lymphæ ſcaturigines [h], ne mireris, nihilo magis quàm aquâ indiget corporis œconomia. Lympha eſt ſpiritibus congener unde viviſcit [i] humanum corpus, ſpiritibus qui lympha [k] ſunt conſervatur. Rudem ergò præ naturali, chymiam vulgarem [l]! quæ hinc exeunt opera, *ſpiritus*, *clyſſi*, *eſſentiæ*, *tincturæ*, *elixiria*, hoſtilia crederes, adeò ignem [m] unde nata ſunt, ſapiunt: qui illinc prodeunt ſucci, amicabiles ſunt, qui non à ſalſedine, acrimoniâ, aut quovis extremo ſapore actuoſi facti ſunt, ſed ab exquiſito trituræ gradu. *Volatilibus* ipſis potentiores, nocentes tamen minùs ſunt; cùm earum, quæ volatilium ſunt, turbatum nihil habeant, nec inquietis. Inde teneas quid ſit diſcriminis eam inter quæ naturæ & alteram quæ officinarum eſt chymiam. Eò tendit artis chymicæ labor, ut ii quos tractat liquores, phlegmatis aut aquæ naturam exuant; naturæ concilium, ut ii quos conficit ſucci, lymphæ induant benignitatem. Poſthac quid ſperandum habeas à diluentibus & potu [n] intelliges. Abſit enim iis accedas, qui à potu metuunt relaxari partes coctioneſque retardari. Aiunt, fibrillis [o] ex quibus compinguntur partium ſtamina, utpote cum longiſſimè protenſæ ſint, in itinere longo multum de elatere illarum decedere: maximè, cùm à ſuo motûs principio recedens liquor tardeſcat [p], minuaturque robur vectis, in quo longiùs diſtat *hypomochlium*. Unde concludunt in *atoniam* certè venturas eſſe partes, ſi eas liberali potu emolliri contingat. Sed hos umbra terret. Illæ enim exporrectæ adeò quas narrant fibræ, ut non directo ducuntur limite, circulos, plicaturas, angulos efformant, tot quaſi internodia quæ fibrarum breviant longitudinem, tot veluti fulcra quæ potentiam ſuſtinent. Fortior eſt ergò fibrarum tonus, quàm ut tam facilè vincatur; eò minùs quòd validiſſima [q] ſit virtus quæ nervorum oſcillationes tuetur, eorumque ſuccum trudit. Illa ipſiſſima eſt meningum vis, à quâ oſcillationes deſcendunt [r] & partium *eutonia*. Quò uſque autem illa virtus aſcendere poſſit, hinc augurare. Si cor & arteriæ ſuperant [ſ] reſiſtentiam 7560000000. ℔ [mm], meningum vis quæ cordis [t] & arteriarum robur huc attollit, reſiſtentiam indefinitè majorem ſuperabit. Talis potentiæ energiam arguit nervorum textura, illorumque ſucci conditio. Nervos puta funiculos ex fibrillis parallelis contextos, quæ à cerebro pultaceæ naſcentes, illinc recedendo ſolideſcunt. In ejuſmodi fibrillis cavitatem quæris? *laterem lavas*. Certè plenæ [u] ſunt, fungoſæ [x], *muſcoſæ* forſan *conglobatarum* glandularum [y] fibrillis non abſimiles; ſuccum quem à corticali ſubſtantiâ combiberunt, [z] ad ultimos ſui fines, meningum illuc uſque oſcillantium operâ [aa] tranſmittentes. Ille ſuccus lympha [bb] eſt *oxypora*, per omnia nempe meabilis, facilis avolare, non volatilis [cc]; id eſt, non inquies, nec turbulenta vel loci impatiens, qualia ſunt chymicorum volatilia. Meliùs roris genus eſt, ſenſim & placidè de cerebro pluens, qui fluendo minùs progreditur, quàm ſerpendo [dd], non it enim ſed urgetur, exprimitur non currit. Porrò liquorem tardigradum [ee] per cæcos, flexuoſos & difficiles tramites, ad imos receſſus trudere, opus eſt ſtupendæ virtutis. Partium ergò *tonum* frangi tam facilè aut violari ne credas. Perperam quoque verentur coctiones potu retardari. Coctus eſt humor qui ritè ſubactus [ff] eſt, exquiſitè commolitus, facilis ad circuitum [gg], ad fluendum paratiſſimus. Naſcente morbo cruda ſunt omnia? cauſa palàm eſt. Plethorâ exuberans ſanguis, aut remixtâ impeditæ tranſpirationis materiâ turgeſcens, cordis & arteriarum oſcillationibus atque trituræ fortiùs reſiſtit. Ita creſcente fluidorum virtute & maſsâ, ſolidorum decreſcit [hh] vis & imperium, præpoſteræ fiunt oſcillationes; qui enim ſub ſanitate ad ſolidorum nutum agebatur ſanguis, ſub morbo ſolidis

b *Vvedelii pharmac. acroamat. p. 33.*

c *Gulielminus p. 74. ex Levvenhoëkio.*

d *Confer Brunnerum de lymphâ p. 68. Gulielmin. p. 84. Bellini opuſc. de corde p. 40. 41.*

e *Ibid. Pacchioni de durâ meninge paſſim.*

f *Nuck adenogragh. paſſim. Brunner de lymphâ paſſim.*

g *Gulielmin. p. 78. Brunner. de lymphâ p. 68.*

h *Id paſſim. Nuk paſſim.*

i *Bellin. de cord. p. 41. &c. Charleton œconom. p. 83.*

k *Bellini ibid. Charleton de ſucco nervoſo paſſim.*

l *Ettmuller de uſu & abuſu præcipitantium p. 245. 278. de Moor p. 410.*

m *Confer Frideric. Hofmann. de vero uſu & fero abuſu remed. chymicor.*

n *Borell. propoſ. cxxxiv.*

o *Baglivi de fibr. motr. p. 27. Gulielmin. p. 74.*

p *Id. p. 19. Cole de ſecretione cap. vii. Baglivi p. 68.*

q *Baglivi cap. v.*

r *Idem cap. ix. Pacchioni p. 76. & paſſim.*

ſ *Borell. de mot. animal. propoſ. xxvi.*

t *Louver p. 86. &c. 11. Baglivi paſſ. Pacchioni p. 80. 81. 87.*

u *Charleton œconomiæ anim. p. 208.*

x *Ibid.*

y *Nuck adenograph. p. 37.*

z *Pacchioni p. 53. Borell. prop. lxxix. xxiii.* aa *Ibid. Baglivi ubique. Pacchioni p 72. &c.* bb *Bellini opuſc. de cord. p. 40. Borell. propoſ. lxxix. Gulielmin. p. 74. &c.* cc *Pacchioni p. 71.* dd *Id. p. 69. 79. 71. Baglivi.* ee *Pacchioni ibid. Baglivi ibid.* ff *de Moor p. 174. Pitcarn. paſſim.* gg *Idem p. 61. &c.* hh *Bagliv. p. 21.*

imperat [ii], adeò ut qui autea nullus erat inteſtinus [kk] aut fermentationis motus primas [ll] tunc teneat. Hinc febris [mm] quæ ſanguinis eſt ſupra ſolida oſcillantis prædominium. Sed hâc ſub inverſâ luctâ, abnormi facto ſuccorum circuitu, quæ excernenda erant retinentur, excernuntur quæ retinenda. Tunc ut augetur ſanguinis moles, minuitur comminutio, illius amittitur cum vaſorum diametris proportio, ruit æquilibrium. Motu, *craſi*, miſturâ incongruus fit liquor. Crudum dices? ita ſanè; imperfectè enim ſubactus eſt, capillarium *diametris* impar, *ſecretionibus* ineptus. Eo in ſtatu impetuoſiùs arietabit ſanguis? cuneabitur magis [nn]; fortiùs impinget? arctiùs hærebit & morabitur. Interim retrogadis [oo] factis oſcillationibus ſecretiones reſiliunt, viſcera & glandulæ ſuos affatim eructant ſuccos; qui exundant, variè miſcentur, eliqueſcunt. Hinc *diarrhœa*, ſudores, *ptyaliſmi*, *perirrhœa*: verbo, quâ datâ portâ ruunt & præcipitantur crudi liquores. Crudi inquam, triturâ enim (à quâ omnis coctionum vis) [pp] deficiuntur. Tot malis ſuccurrere voles? fac, deferveſcendo detumeſcat ſanguis, ſicque trituræ cedat. Quod cùm conferant potus & diluentia, ultrò ſequitur, coctiones potu non retardari, à quo ſucci habent unde penitiùs [qq] comminuantur.

ii *Idem p. & cap.* VII. *de Moor p.* 90. 91. *Pacchioni p.* 91.
kk *Cockburn.*
ll *Baglivi p.* 27.
mm *Ibid.*
nn *de Moor p.* 103. 144. *&c.*
oo *Baglivi de fib. mot. p.* 52.
pp *Pitcarn. p.* 61. *&c.*
qq *Gulielmin. p.* 46.

V.

FELICES! ſi hîc ſubſtitiſſet de potu præconceptus error. Sed indidem venit adhuc quam ab antiquo imbiberunt de frigidis, ſeroſis pituitoſiſque morbis opinio. Imaginantur ſub iis incongrua eſſe potulenta, ubi omnia pontus aut aqua eſſe creduntur. Quid (inquiunt) habent, quod potu reſtinguas ii affectus, quos committunt frigidæ fermentationes? ſed hos fallit memoria; oblitos, dari quoque frigidarum fermentationum fervidos [a] halitus. Tales ſunt quos mittit ſalis armoniaci cum oleo vitrioli [b] miſtura; hæc enim thermometri liquorem deprimit ſuo contactu, halitu [c] ſuſtollit. Similium in corpore fermentationum exempla producit hemitritæus, Leipyriæ, Epialæ & quædam malignæ febres, ſiti, phlegmone, eryſipelate [d] ſtipatæ, ſub quibus ægri algent & ardent. Potûs ergò neceſſitatem ferè aſtrueret frigoris ſenſus. Eandem ſuadebit ritè intellecta ſeroſorum affectuum natura. Sanguis naturâ ſuâ *oleoſo volatili* perfuſus, ſi agreſtibus ſuccis aut [e] acido *fluorem* paſſo ſcateat, *acetoſam* in vaſis parit *dyſcraſiam*, paludoſam [f] in carnibus conſtitutionem, unde *œdemata*, *anaſarca*, *leucophlegmatia*. Sub his uſurpes (conceditur) *pulveres*, *opiatas*, *condita ex ſtomachicis*, *martialibus*, *aromaticis*; ſæpe tamen præſtabunt *lignorum decocta*, *apozemata*, *lixivia*, adeò ubique potiora ſunt potulenta. Verùm ſi tumultuando [g] ſanguis, ſerum diſſilire faciat; ſi bilis ſalibus fœta *lixivioſis*, oleo ignem experto ſimilis facta, ſanguinem acrioribus inquinaverit ſuccis, nutritium liquorem aſſiduè liquabit, fibraſque tubulorum quos tacitè prætercurrere debuiſſet laceſſendo, ad ſpaſmum & coarctationem coget. Hinc minuto vaſorum diametro, illinc auctâ, præ turbâ & colliquatione ſuccorum mole, reſtagnent [h] oportet, & exundent undique liquores. Indè fluxionum, rheumatiſmorum, hydropum pars maxima. Sed his ubi urit ſitis, febris adeſt, viſcera æſtuant, rutilant urinæ, tam commodè quàm aqua igni auxiliabitur potulentorum uſus. Hæc tibi pugnantia videntur & inenarrata! ſimilia innuit artis princeps [i]. Memineris tamen varia [k] variis morbis & conſtitutionibus potulenta accommodare; *aliis* enim [l] *alia*. Videre eſt, in quibus à cerebro ad ſtomachum tardiùs undulantur ſpiritus; talibus vinum indulgebis, cujus ſtimulo ſegnes ſtomachi oſcillationes erigas aut exſuſcites. Sed feliciùs degunt qui amicis etiam ejuſmodi irritamentis carere poſſunt. Si tamen horret ſtomachus inamœnam aquoſorum ſuavitatem, præſtò erunt multiplices herbulæ, *capillares*, *traumaticæ*, amaræ. Illas inter præcara tibi ſint *panchreſta Theæ* [m] folia, *ſalviæ* [n], *chamedrios*, *veronicæ* [o]. Delicatiora placent? aderunt floſculi, *caryophyllorum*, *violæ*, *anthos*, *papaveris erratici*, tot amabilia potûs condimenta, quibus nauſeantem falles ſtomachum aut blandè vellicabis; maximè ſi caleant [p] ejuſmodi potus, quibus tepidarium viſceribus pates. Ideò laudanda præ noſtrorum popinis veterum *Thermopolia* [q], ubi non in perdendis vinis, ſed in ſorbillandis calentibus aquis, innoxiè oblectabantur. Antiquam patrum virtutem! à cauponibus aqua, vinum à pharmacopæis vendebatur. Saltem medicorum injuſſu [r] prohibebatur hic inſidioſus liquor, quem feminis & juvenibus interdicebat Romanorum [ſ] ſapientia. Aureæ illius ætatis reliquias tenent, qui præſentibus

a Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences 1700. p. 53.
b *Ibid.*
c *Ibid.*
d *Boneti Sepulchretum p.* 206. *ob.* LVI.
e *Ettmuller p.* 34. *Vvillis p.* 352.
f *Ibid.*
g *Sydenham de morbis acutis p.* 39.
h *Vid. Leuvver de cord. mot. p.* 117. *Vvillis & Ettmuller de hydrope.*
i *Hippocrat. de intern. affect. text.* 30. *Moniglia de aquæ uſu in morbis p.* 218. *&c. confer Hofmann. Inſtitut. c.* 67.
k *Coſtæus de potu in morbis ubique*
l *Hippocr.*
m Bontekoë *elem. de Med. Mappus de potu calid. generibus. de Moor p.* 402.
n Bontekoë *tr. de la Sauge.*
o *Francus veronica Thëizans.*
p *Athenæi deipnoſoph. l.* III. *p.* 125. *Trallian. p.* 291. *Hippocr. de loc. in hom. p.* 413. *Lucas Portius de milit. ſanit. p.* 2. *c.* 1. *Coſtæus de potu c.* LII. LIII.

q *Turnebus adverſar. l.* XX. *p.* 167. *Nonni diætetic. p.* 444. r *Alexandri ab Alexandro genial. dier. l.* III. *c.* XI. *Roſin. antiq. Romanar. l.* VIII. *annotante Dempſtero p.* 548. ſ *Auli Gellii noct. attic. l.* 10. *c.* 23. *Plin. hiſt. l.* XIV. *c.* XIII. *Rhodigin. p.* 37.

morbis caldâ [t] non decoctâ [u] succurrere, eâdem futuris prospicere vellent, nisi de eorum numero sint qui frigidâ levari amant aut lavari. Tales sunt *causus* [x], *phrenitis*, colici dolores [y] biliosi, hystericæ [z] quoque affectiones. Sub his potissimùm in *ataxias* proni spiritus, disturbarive faciles nervi, frigidæ potu vel balneo [aa] firmantur. Te moratur Avicennæ Arabum scholæ principis authoritas? qui frigidam reformidare videtur [bb]. Sed quid? si merè *systematicum* [cc] sit illud opus, quod Avicennæ nomine circumfertur. Quid? si non propriâ illius operâ, sed conductitiâ [dd] fuerit conflatum? ut asserunt Hispani [ee] authores. Hæc tamen procul à nobis sint, ut & illud quod in vulgus abiit dicterium, *Avicenna* [ff] *judicio & ingenio eximius, experientiâ nullus*. Neque aliis assentiri velimus, qui scribunt Avicennam Theologiæ studio [gg] magis quàm Medicinæ fuisse addictum; hæc enim omnia protulerit livor. Sed unum superest unde multorum in medicinâ errorum fons [hh] & seminarium perhibetur, tam infida nempe operum illius in latinum [ii] conversio, ut aut incerta [kk] aut pugnantia [ll] loqui videatur. Cæterùm in exhibendâ ægris aquâ timidum illum fuisse quis credet? qui in febribus tertianis & *pestilentialibus* affatim eam offerri jubet, utpote naturæ & caloris nativi amicam, roborantem, [mm] stomachicam. Posthac Avicennæ fidem renues? concedes Rhasi Arabum sapientissimo, qui ob centum [nn] annorum experientiam, medicorum peritissimus habetur. Hic autem plurimam aquam in morbis passim & liberè [oo] commendat. Opponunt adhuc, aquam bilescere [pp]. *Ridiculum* [qq]: ita fortè si male sana [rr], impuris nempe gravida sulphuribus intra viscera tardescat, vel si parciùs propinetur. Pauxillum enim aquæ, inopportunum fit bilis *menstruum*, quo soluta fortiùs agit & fermentatur. Paucam igitur aquam vincet bilis quæ [ss] copiosiori vinceretur. Rationibus defecti hinc indè corradunt authorum testimonia, ut à potu formidinem incutiant; sed hæc de ipsissimâ frigidâ intelligenda veniunt. Aliunde, numero vincunt [tt], gravitate æquant & dignitate, qui illam excutient. Itaque *in* [uu] *acutis febribus siti oppressi à medicis, aut* ** *potu interdicto vexati, multum posse bibere videntur; iis enim frigida exhibita* mirè *conducit.*

t *Lucas Portius de aq. ferventis præstantiâ p. 2. c. 1. Costaus c. 52. 53. Mercat. l. III. p. 52.*
u *Ibid.*
x *Hippocrat. l. 3. de morb. l. 1. epid. s.* III. Boneti *Sepul. p. 205. obs.* LIII. *Panarol. pentecost.* IV. *obs.* VIII.
y *Hippocr. s.* V. *aph. 25. Galen. 12. method. c.* VII. *Mercatus l.* III. *p. 56.*
z *Floyerus disquisit. de* Balneis *frigid. p. 164. &c.*
aa *Ibid.*
bb *Avicenna passim l.* III. *fen. 1. tr.* II. *p. 418. id. l. 1. fen.* III. *doctr.* II. *p. 64. id. canticor. p. 574.*
cc *Schelhammer in Conringii introd. p. 127.*
dd Bibliotheca *Hispanica Nicol. Antonii l.* VII. *c.* II. *p. 5.* ee *Ibid.* ff *Schelhammer in introductionem Conringii p. 127.* gg *Ibid.*
hh *Arquatus in suo Medico reformato p. 90.* ii Bellonius *de Medicat. fun. l. 1. c. 13.* kk *Ibid. & Schelham. in Conring. p. 126.* ll *Vid. contradictiones Avicennæ, author. Actio Philippo Pellinigero, Venetiis.* M. D. L. II. mm *Avicenna prim. part. cantic. 122. id. p. 214. c. 4. id. 38. c. 16.* nn *Goris chymia liberata p. 53.* oo *Rhases lib. divis. c. 150. & passim. confer Mercat. l.* III. *de præsid. p. 5.* pp *Hippocrat. de vict. rat. p. 380. &c. Cælius Aurelian.* II. *de acut. c.* XXI. qq *Alex. Trallian. l.* VI. *p. 273.* rr *Hippocr. de aër. loc. & aq. art.* X. *v.* V. *Mercurial. in Hippocr. p. 243. Prosp. Martianus in Hippocr. p. 74. Moniglia p.* III. ss *Avicenna l. 4. fen. 1. tract. 4. c. 4. Primeros. de vulg. error. l. 4. cap. 40. Moniglia.* III.
tt *Gallego de la Serna Phillip. III. & IV. Hisp. Reg. Archiatr. method. med. p. 148. &c. Mercat. p. 52. Heurnius de febrib. p. 27. Vid. Vid. cap. 3. de feb. Vander Lind. select. med. p. 220.* Bonet. *Polyalth. tom. 1. p. 82. Luc. Tozzi in aphorism. l.* II. *p. 202. l.* IV. *p. 224.* Borell. *de Mot. animal. cap.* IX, *prop.* XXXIV. *Joan. Matthæus centur. difficultat. Medicar. quæst.* XLII. *Ettmuller. de febrib. Costæus de potu in morbis. Moniglia de aq. usu. Lucas Portius de sanit. milit. Jo. Lang. l. 1. epist.* XX. *ubi sic legitur:* HOMICIDII ACCUSATIONE DIGNI NOSTRATES MEDICI, QUI FEBRICITANTES INOPPORTUNA SITI MACERANT. uu *Hippocr. l.* IV. *epid. sub fin.*

Non ergò potus ægris interdicendus.

Proponebat Parisiis JOANNES HERMENT, Parisinus, Medicus Regis ordinarius utriusque aulæ equestris designatus, & Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1704.

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.